



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 48. Appellatio a Pontificis Constitutione a Lotharingicis interposita, & a Clemente XI. reprobata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](#)

Sæc. XVII claratione incurrendæ poena tam in  
A. C. 1704. judicio, quam extra illud iis uti præsumperint, imo etiam ex Confessariis nonnulli refractarios ad Sacramentorum participationem admiserint, hinc Pontifex die decima Maij ad omnes Lotharingiæ & Barri Præfules literas dedit, quibus injunxit, ut Ducis subditos, ejusque Ministros ad debitam obedientiam Apostolicæ suæ Constitutioni præstandam compellant, & ejusmodi Confessarios a sacro Ecclesiæ clavium Ministerio arceant, aliisque poenis juxta Canonicas sanctiones in eos animadvertant.

### §. XLVIII. *Appellatio a Pontificis Constitutione a Lotharingio interposita & a Clem. XI. reprobata.*

*Bull. magn.* Verum summus Pontifex iniquissimo  
*Conf. Clem.* tulit animo, quod Lotharingiæ  
*XI. p. 26.* Dux Pontificis precibus, Præfulum sollicitationibus & querelis adeo non cederet, ut insuper ejus quoque Ministri & Jureconsulti harum legum æquitatem calamo & ore defenderent & supremus Lotharingiæ Procurator adversus Pontificiæ Constitutionis executionem a Papa male edocto ad melius edocendum provocarit; semper enim

enim Pontifices ejusmodi appellations Sæc. XVII.  
finistro suspexere oculo, et si ipsimet A.C. 1704.  
Pontifices ad ejusmodi provocaciones  
ansam dedisse videantur; sic enim Gre-  
gorii VII. sæculo XI. pro dissidio Pa-  
pam inter & Henricum componendo  
tutam & securam Synodum obtulit, &  
Gelasius II. sæculo sequenti idem re-  
medium Gallis proposuit, ac denique  
Innocentius III. Anno 1198. ejusmodi  
Concilium ob Philippi Galliarum Regis  
matrimonium non recusavit: inde vero  
Principes intulisse videntur, quod Pon-  
tifices, se in suis privatæ caussæ judi-  
ciis fors perperam fuisse edocatos, cre-  
diderint, ac propterea a legitimi Con-  
ciliis iudicio melius edoceri non recu-  
faverint, ac etiamnum non recusent.  
Utut autem sit, id omnino certum est,  
quod præfatus Procurator suæ appelle-  
lationis acta publici juris fecerit, quæ  
etiam Pontifex, fors non ideo, quia  
ab ejus sententia fuit appellatum, sed  
quia in his actis multæ propositiones  
*falsæ, temerariæ, calumniosæ, perniciosæ,*  
*Ecclesiæ injuriosæ &c.* fuerunt inspersæ,  
omnino proscripsit, die undecima Fe-  
bruarii hoc anno edito sequenti de-  
creto:

„Cum nos alias per quasdam nostras  
„in simili forma Brevis literas, librum  
„quemdam Gallico idiomate conscri-

L 5                    „ptum

Sæc. XVII., ptum in duas partes divisum sub ti-  
 A. C. 1704 „tulo: *Codex Leopoldi I. &c.* damo-  
 „verimus, & reprobaverimus, ac legi-  
 „seu retineri prohibuerimus, & alias  
 „prout in prædictis nostris literis die  
 „22. Septembris proxime præteriti ex-  
 „peditis, quarum tenorem præsentibus  
 „pro plene, & sufficienter expresso, ac  
 „de verbo ad verbum inserto haberivo-  
 „lumus, uberioris continetur; subinde  
 „vero ad Apollolatus nostri notitiam  
 „pervenisset, in vulgo circumferri quæ-  
 „dam folia eodem Gallico idiomate ty-  
 „pis impressa, quibus titulus.

*Acta Appellationis a supremo Lotha-  
 ringiæ & Barri Procuratore contra exe-  
 cutionem Brevis die vigesima secunda Si-  
 ptembris editi contra Codicem Regiæ sua  
 Majestatis Mense Julio Anno 1701. a  
 Sanctissimo D. Papa Clemente XI. male in-  
 formato ad melius informandum interposita,  
 unacum sententia de hac appellatione acti  
 inferenda: Nos nonnullos ex Venerabi-  
 libus Fratribus nostris S. R. E. Cardi-  
 nalibus, aliosque in Sacra Theologia  
 Magistros, & in Decretis Doctores  
 ad eorumdem foliorum examen dele-  
 gimus, qui omnes folia ipsa, tanquam  
 continentia Propositiones falsas, te-  
 merarias, calumniosas, in praxi per-  
 niciose, Ecclesiæ injuriosas, ac Ju-  
 risdictionis & libertatis Ecclesiastice  
 „laeli.*

„læfivas, similiter damnanda, & pro- Sæc. XVII.  
„hibenda esse censuerunt: auditis itaque A. C. 1704.

„eorumdem Cardinalium, Magistro-  
„rum, & Doctorum sententiis, credi-  
„tum Nobis a Domino Pastoralis curæ,  
„atque vigilantiæ munus, quantum  
„Nobis ex alto conceditur, salubriter  
„;exequi cupientes, de ipsorum Cardi-  
„nalium Confilio, folia supradicta Au-  
„ctoritate Apostolica tenore præsentium  
„damnamus pariter, & reprobamus,  
„ac legi, & retineri prohibemus, illo-  
„rumque impressionem, descriptionem,  
„lectionem, retentionem, & usum om-  
„nibus, & singulis Christi fidelibus, e-  
„stiam specifica, & individua mentione,  
„& expressione dignis, sub poena ex-  
„communicationis per contra facientes  
„ipso facto, absque alia declaratione  
„incurrenta, a qua nemo a quoquam,  
„præter quam a Nobis, seu Romano  
„Pontifice pro tempore existente, nisi  
„in mortis articulo constitutus, abso-  
„lutionis beneficium valeat obtinere,  
„omnino interdicimus.,,

„Volentes, & eadem auctoritate  
„mandantes, ut quicunque folia hu-  
„jusmodi penes se habuerint, illa sta-  
„tim, atque præsentes literæ eis in-  
„notuerint, locorum ordinariis, vel  
„hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tra-  
„dere, atque consignare teneantur.  
„Præ-

Sæc. XVII., Præterea eadem folia, necnon appellatio  
A. C. 1704. lationem, arrestum, aliasque in eis  
 contenta quæcunque nemini suffragari posse, ad effectum impediendi, de-  
 clinandi, seu etiam suspendendi exceptionem præfatarum nostrarum literarum, quæ juxta earum formam, & tenorem servari omnino debeant, auctoritate, & tenore prædictis decernimus, & declaramus. ,

Hisce etiam Lotharingici Ducis Constitutionibus sacerdotali pectore strenue obstatit Henricus Tullensis Episcopus, qui multis apud eundem Documentis argumentis institit, ut ab inconsulto Ministros Ecclesiæ vexandi proposito desisteret, ac propterea idem Episcopus a summo Pontifice transmissis die vigesima sexta Januarii literis plurimum commendatus est.

### §. XLIX.

#### *Hujus controversiæ exitus.*

*Epist. & Brev. Clem. XI. p. 213.* Perspecta Pontificis constantia, Zelo ac severitate Lotharingiæ Dux ad mitiora inclinare videbatur, ac propterea ad eundem literas dedit submissione plenas, ex quibus Pontifex ea, quæ prius Ducis nomine scripta ac promulgata fuere, aliena potius mente & suggestione prodijisse conjectabat. Insu-

per